



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

De sacro Coniugio 116

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

ceant, vel etiam pretermitrat: de quo Deus ab unoquoque rationem postulaturus est, neque etiam potestatem habet unus Episcopus, alterum propterea condemnandi, cum nullus super alterum sit, ut Cyprianus bene scripsit. Nulla n. potestas est in Ecclesia Dei, nisi ad ædificationem.

Porrò quod Liber præcipit, ne vlla grauamina, aut vota, contra Scripturam ordinandis imponantur, cuiusmodi est Abiuratio legitimi Matrimonij, id cum Scriptura, quam maximè consentit. Ea n. & Episcopos, & Clericos postulat, qui sint viuis vxoris mariti. Hic verò quæ ad cælibatum à Domino vocati non sunt, necesse est eiusmodi votum esse perniciösuni laqueum, quemadmodum, proh dolor, longo hactenus tempore nimis aperte per experientiam potuit, sed de hoc infra suo loco copiosius & exactius.

Quarta pars est, ab omnibus Ordinandis in hoc Libro exigi, ut fateātur doctrinam eius certissimè esse unicam Catholice Ecclesie Dei doctrinam, similiter ut polliceantur in ea tanquam absque dubio Christiana manere, ipsam fideliter tueri, docere, & secundum eius ordinationem viuerē. Cum totus Liber totius Ecclesie Christi doctrinæ in tam multis & insignibus locis ex Diametro contrarietur, nec ullum in scripturis habeat fundamentum. Ut omnis ordinandus ad ministerium Ecclesie, Christianam doctrinam prius profiteatur, & in eo fideliter se perseueraturum polliceatur, antiqua est & Apostolica constitutio, quod nec ipsos Aduersarios latet.

Iam verò indubitatum est, doctrinam Libri Reform. in S. scripturis firmissimè fundatam, & idcirco unicam esse, certam, & indubitatam, Ecclesiarum Christi doctrinam. Alter autem se rem habere, & minimè quidem hactenus probarunt aduersarij, nec deinceps probabunt in semper.

Hactenus ad Articulum de Ordinatione.

### Vicesima septima Accusatio.

*De Matrimonio.*

*Vtrum Coniugium sit Sacramentum.*

*Quatenus Coniugium debeat prædicari.*

*Vtrum secunda nuptia debeant in Christiana Ecclesia celebrari.*

*De Sponsalibus contractis inuitis ac nesciis parentibus.*

*De forma benedicendi nuptiis.*

### CAP. CXVI.

**H**ec accusatio continet septem partibus, quarum prima est. Librum non recipere Matrimonium in numerum Sacramentorum, cum Paulus testatur, in verbis primi hominis, loquentis de Eua vxore sua, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, propter hoc relinquet homo.*